

dans, in ollam jecit, & cum cæteris concoxit; *Xanthus* verò veritus ne *Æsopus* subreptum pedem non inveniens fugeret, rursus in ollam ipsum injecit; *Æsopo* autem pedes in patinam evacuante, & quinque pedibus apparentibus: *Xanthus*, *Quid hoc, inquit, Æsopè? quomodo quinque?* *Æsopus* dein interrogavit *Xanthum*, *Quot pedes habent duo Porci?* *Xanthus* respondebat, *oHo*. Tum *Æsopus*, *Sunt ergo in hac patina quinque, & saginatus Porcus inferius tripes pascitur.* Quod *Xanthus* admodum molestè ferens, amicis inquit, *An non Paulo dixi quod celerrimè hic me ad Insaniam rediget?* Et *Æsopus*, *Here, An non nosti id quod ex additione, & subtractione. in quantitatem secundum rationalem summam colligitur, non esse errorem?* *Xanthus* igitur, nullam honestam inveniens causam verberandi *Æsopum*, quievit.

Postridè autem unus ex Scholasticis sumptuosam apparatus cœnam, cum aliis Discipulis & præceptorem *Xanthum* invitavit: Cœnantibus igitur, *Xanthus* electa accepit fercula, & *Æsopo* penè stanti dedit, & *Dilectæ, meæ, hæc, inquit, trade.* Ille verò discedens hæc secum cogitabat, Nunc occasio mihi oblata est ulcisci meam Dominam, propterea quòd me, quàm novitius veni, scommatibus multis laceffivit; Videbo igitur an *Hero* meo benè velit: Profectus itaque domum, & sedens in vestibulo, & *Hera* accita sportulam ferculorum coram ipsa possuit, ac inquit ei, *Hera, Dominus hæc omnia misit, non tibi, sed Dilectæ;* & cane vocata, atque dicto, *Veni Lycæna, veni, comede, tibi enim Herus hæc jussit dari,* particulatim, cani omnia projecit: Et post hoc ad *Herum* regressus, & rogatus, *An Dilectæ dedit omnia;* *Omnia* respondebat *Æsopus*, & *coram me omnia comedebat:* Illo verò iterum interrogante, *Et quid dixit inter edendum?* Et *Æsopus*, *Mihi quidem nihil dixit, sed secum tibi (ut puto) gratias habebat.* Uxor intereà *Xanthi* calamitosum esse arbitrans se *Cani* esse posthabitam, concludebat, se in posterum non ampliùs cum eo cohabitaturam, & ingresso cubiculo ploravit. Poculis autem vicissim sese alternantibus, & quæstionibus propositis: Quando futura esset ingens inter *Homines* turbatio? *Æsopus* ponè stans ait, Quàm Resurrexerint mortui, repentes ea bona quæ possederint; Scholastici ridendo dixerunt, Ingeniosus *Hic* novitius? Alio verò rursus proponente, Quamobrem ovis ad cædem trahita non exclamat, *Sus* autem miserimè vociferatur? *Æsopus* interponens rursus ait, Quoniam ovis assueta mulgeri, aut velleris gratum onus deponere, tacitè sequitur; Ideò etiam, quamvis pedibus arrepta, & grande pedum videns, nihil grave suspicatur, sed illa familiaria solùm sibi videtur passura; *Sus* autem qui neque mulgetur, neque tondetur, neque novit ad Bonum aliquid trahi, sed carnes suas tantum usui esse, meritò vociferatur; His sic dictis, Discipuli rursus laudaverint eum.

Finito verò convivio, & *Xantho* in domum reverso, & uxorem promore, aggresso alloqui, illa ipsum averfata, inquit, Ne propinquiùs ad me accedas; Da mihi dotem meam, & abibo, non enim ulterius tecum mansero: Tu autem abiens cane adulare, cui dapes misisti. Ad hæc verba *Xanthus* stupefactus dixit, Non contra me majus malum machinari *Æsopus* potuit; Et Uxore inquit, Domina, nūmne potò tu ebria es? Cui dapes misisti? Nonne tibi? Non per *Jovem*, inquit illa, sed cani, *Xanthus* accito *Æsopo* dixit ei, Cuinam *Æsopæ* dedisti dapes quas Uxori misisti; *Æsopus* respondebat, *Dilectæ tuæ.* *Xanthus* ad Uxorem conversus dixit, Et tu nihil accepisti? Et illa, Nihil omnino. *Æsopus* interponens dixit, Cui, *Here*, jussisti partes dari? Et ille, *Dilectæ meæ:* *Æsopus*, cane vocatâ, *Hæc*, inquit, te *Here* diligit, nam mulier etsi videtur tibi benè velle, tamen pro minimâ quaque offensâ contradicet, convitiabitur, & abibit; Canem vero verberato, aut à domo expellito, non tamen discedet, sed oblita omnium, benignè statim blanditur, ut cum *Hero* gratiam ineat: oportebat igitur dicere, *Here*, Uxori has partes ferre, & non *Dilectæ.* Tum *Xanthus*, Vides *Domina* non meam esse culpam, sed ejus qui tibi dapes ferre jussus erat; Patienter fer igitur, non deerit mihi occasio quæ eum verberem. Illa vero non credente, ad parentes suos clam regressa est; qua-